B. N. C.
FIRENZE
1062
24

[illegible]

1062-24

Pro Gloria & Memoria

VOLCKAMERIANA,

FUNEBRIS ORATIO,

habita ſolenniter

Emortuali, poſt Exceſſum, die, ab elapſo Anno; ſancti Senis, & Illuſtris olim

PRÆSIDIS,

A

GEORGIO CASPARE KIRCHMAJERO,

In Electorali Acad. Wittenberg. Orator. P.P.

Acad. Seniore, Imperial. LEOPOLDIN.

Phoſph. Secundo,

An. cIↄ Iↄc xciv.

1067. 24

RECTOR ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
MICHAEL STRAUCH/
SUPERIOR. MATH. PROF. PUBL.
CIVIBUS ACADEMICIS
S. P. D.

ITe filii, celebrate exequias, nunquam majoris civis funus videbitis. Metelli Macedonici haec vox fuit, cum ei nunciata eſſet mors Scipionis Æmiliani, hoſtis, dum viveret, infenſisſimi. Ut enim livor atque odium poſt fata quieſcunt, ita virtus triumphatrix ſuperſtitem eò adegit, ut deleta priſtinae ſimultatis memoria, luculentum gloriae teſtimonium eidem exhiberet. Si optio ipſi data fuiſſet, num ſalvum, an vero deſtructum voluiſſet, Diogenis inſtar à ſummo rerum humanarum arbitro procul dubio petiiſſet, ut Solem redderet, qvem eripuerat. Qvis qvaeſo noſtrum eſt, qvi Metelli factum non approbet, & caneſcentibus hiſce naturae annis ſiderum eruditi orbis clariſſimorum jacturam acerbiſſimo animo atqve corde non lugeat? Splenduit qvondam, ut luna inter ſtellas minores, Vir Magnificus atqve Experientiſſimus DN. JOHANNES GEORGIUS VOLCKAMERUS, Medicinae Doctor longè celeberrimus, Sacrae Caeſareae Majeſtatis Conſiliarius atqve Archiater fideliſſimus, Palatii Lateranenſis Comes Nobilis, Leopoldinae Acad. Nat. Curioſor. Praeſes gravisſimus, Collegii Medici, qvod Norimbergae floret, Senior & Proto-Medicus admodum venerandus, tot virtutum indiciis, qvot titulorum inſignibus ornatus; ſed fato eheu! extinctus, inſigne ſui deſiderium omnibus reliquit. Luget ars Medica, & Muſae tanto Praeſide amiſſo, lacrymas tenere non poſſunt. Qvem

Norimberga fovebat, hunc mundus ſuſpiciebat, & de praeſtantiſſimo hocce Numinis dono impensè ſibi gratulabatur. Superbiat Italia *Malpighiis* ſuis atqve *Patinis*; Veneretur Anglia *Boylios*; Nos VOLCKAMERUM die XVII. menſis Maji ſuperiori anno nobis ereptum depraedicamus, & devotè memoriam hujus Senis, qvi ſeptuageſimum atqve ſeptimum aetatis annum attigerat, ſerae poſteritati commendamus. Abſit dolor, *Abſint inani funere naeniae, Luctusqve turpes & qverimoniae.* Inter beatos conſidet VOLCKAMERUS, & dum ima deſpexit, meruit ſumma, dum artes & ſapientiam coluit, divinitatem impetravit. Vicit virtute atqve modeſtia & graviſſimas vitae hujus moleſtias, omni invidia major, exſuperavit. At enimvero pluribus & qvidem copioſisſima atqve ornatisſima Oratione rem omnem deducet Vir Ampliſſimus atqve Excellentiſſimus, DN. GEORGIUS CASPAR KIRCHMAJERUS, Eloqvent. Prof. Publ. longè Celeberrimus, Academiae & Facultatis Philoſophicae Senior Venerandus, Defuncti amicus atqve Collega conjunctisſimus, cui ut hodiè, peractis ſacris pomeridianis, Perilluſtres Dnn. Barones, Proceres Academiae cum reliqvis adſcriptis civibus intereſſe velint, peramanter rogitamus P.P. Feſto Aſcenſ. CHRISTI, Anno reparatae ſalutis cIɔ Iɔc XCIV.

ORATIO FUNEBRIS,

in Exceſſum

PRÆSIDIS ILLUSTRIS,

DN. JOH. GEORGII VOLCKAMERI,

Habita Aſcenſion. CHRIST. *Feſto, Anno M. DC.XCIV. in Audit. Maj. Wittenb.*

FEſtum hodiernum diem reddidit feralem obitus, ſuperiore Anno, Præſidis LEOPOLD. Acad. Illuſtris olim ac Venerandi Senis, Sac. Cæſ. Maj. à Conſiliis, Comitis Palatii Lateran. Archiatrorum, Seculo conſeneſcente, eminenter meritorum Principis, JOH. GEORGII VOLCKAMERI mei, imò omnium bonorum Mecænatis; qui tùm agere inter homines deſiit, divorum divarumque Choro ſociatus. Hic cùm Curioſo Sapientum, per Germaniam & extra eam, Ordini præſidio, & ornamento ſingulari fuerit; res digna viſa oppidò, ut pluribus, ſic ſuccedenti ritè Præſidi Magnifico, ut tanti Luminis defectus, hâc potiſſimùm in ſede, ubi *Luctus & altrices poſuere cubilia Muſæ*, ſacro aliquo anniverſario celebraretur. Quam provinciam, quòd humeris imponi meis paſſus ſum, nemo unus fuerit tàm ab humanitate alienus, ut in vitio reponat; cùm non veteris duntaxat amicitiæ neceſſitudo, quâ ab annis inde plurimis complecti me, admiratorem Sui voluit divinus Senex, hùc compulerit; ſed & auctoritas Illius, qui excelſum CELSI nomen ominis ſplendore, per Imperium meretur Sacroſanctum, juſſerit. Videri poteram læſiſſe pietatis quoque legem, niſi pro tot mihi præſtitis officiis ac beneficiis, aſſurgerem religioni gratæ mentis, & memoriam Illius, qui ab annis ampliùs undeviginti, cùm tranſirem Noribergam pluries, domeſticis non corpus modò pavit epulis, ſed animum imprimis, & commercio frequenti literarum coluit Collegam. Illud unicum me multò habet peſſimè, quòd nihil iſtiusmodi conferre poſſum, unde adſtruatur aliquid ipſius gloriæ; aut exſpectationem veſtram, Viri Maximi, Auditoresque Opt. ſuſtineat. Ipſimet noſtis, quô quantoque ſimus luctu & ſqualore obruti; dum PATREM PATRIÆ amiſimus, Auguſtum nuper Principem, JOH. GEORG. IV. Imperii Novemvirale Caput, Dominum Indulgentiſſimum; de quô, cùm tempore locoque aliô funeſta afferenda verba ſint, ſilere meliùs, quàm pauca tantùm dicere in præſens. Quod uſu venire cernimus attonitis, dum fulmine cœleſti feriuntur, oculis & auribus apertis, ſemivivæ velut ſtatuæ, nec vident, nec audiunt, extorres à ſeipſo facti, rationis compotes vix ampliùs cenſentur;

aut quod ſolventibus è portu accidit, dum legunt littora, hôc commoventur minùs, & pericula deſpiciunt;

Poſtquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, Cœlum undique, & undique Pontus;

tunc membra metu exalbeſcunt, ſanguine refugiente ad interiora; ſi evadere in tutum liceat, concipiunt ſignantque vota, adeunt nauclerum, & ut iter relegat, promiſſis precibusque obteſtantur: idem mihi hodie contingere experior. Non affectabo laudem igitur, aut eloquentiæ laurum; ſed benignè ſatis agi mecum ſtatuam, ſi ſolâ brevitate, ac non peſſimô conatu Vobis, RECT. MAGN. AUDITORESque O.O. Honoratiſſimi, me commendare poſſim. Dicere de ſummis Viris graviter ac ſapienter, res non eſt profectò tralatitia; exponere illorum dotes, merita, virtutum decora, ut minimè in viles cadit animas; ſic vires omnia hæc meas ſupergrediuntur, quas agnoſco antè perexiguas. Attingam potiora VOLCKAMERI Noſtri, geſta, nec univerſum vitæ ambitum retexam, aut decurram; ſi, ut balbutienti mihi, pro benevolentiæ veſtræ copia præſentes faveatis, priùs exoravero decenter.

Illam (ut hinc ordiar, quæ ad natalium ſplendorem faciunt,) pro Patriâ VOLCKAMERUS Urbem habuit, quam ſolo etiam nomine nobilitari, à memoria Nariſcorum antiquorum Caſtri novimus. De hâc aſſeverare liceat: quod de Hetruriæ oculo Florentia pronunciavit Heros maximus Auſtriacus: Non, niſi feſtis & ſolennibus diebus Civitatem eam exteris monſtrandam. Quotiens per illam mihi tranſitus patebat, aut ad dies pluſculos hoſpitium (patebat autem ſæpiùs,) non potui non ſuſpicere ingeniorum, rariorum omnis generis artium, ac artificiorum, in eâdem, horrea, modeſtiam, & ſtudium peregrinandi Civium, è mediocri quoque tribu. Quid de Patrum gravitate, quid de ædificiis magnificis, de accuratiore LL. obſervantiâ, de depoſito coeleſti maximè, Orthodoxia Evangelica nimirum dicam? Dicat potiùs, qui olim eam viderat, Athenienſis patriâ, è Græculis *Laonicus Chalcocondylas*, qui rerum Turcicarum libro altero, πόλιν νόβεργον ἐυδαίμονα ſalutat. Undè æſtimare liceat, in quanta jam tùm Urbs floruerit celebritate; quæ per tot annorum pluriumque ſeculorum hactenus decurſum in immenſum aucta & ornata eſt. Romanæ eminentiæ antiſtes, *Sylvius Æneas*, purpuratus, imò tandem Pontifex, ἐυδαιμονίαν ſic exponit: Dic, rogamus, quænam Urbis hujus facies? qui ſplendor? quæ amœnitas? quæ deliciæ? quæ forma regiminis? quid illic, ad Civitatem omni ex parte perfectam deſiderare quiſpiam poterit? Quis venientibus Franconiâ inferiori, & procul ſpectantibus aſpectus ejus Urbis? quæ majeſtas? quod decus ab extra viſentibus? quis intus nitor platearum? quæ domorum munditiæ? Quot ibi Civium ædes invenias Regibus dignas? Cuperent tàm egregiè Scotorum Reges, quàm mediocres Norimbergæ Cives, habitare. Alibique de Europæ ſtatu ſub Imperat. *Friderico* III. ſcripſit idem: Urbs ea nobilis, magnificis operibus, publicis ac privatis ornata eſt, Pegnitio interlabente amne, condita in agro

ſterili

ſterili & arenoſo; atque, ob eam rem, induſtrioſo populo: Hinc multæ illis divitiæ, & magnum in Germania nomen. Aptiſſima Imperatorum Sedes, libera Urbs, & in medio fermè Germaniæ ſita. Tranſeo ingeniorum aquilæ, *J. Cæſ. Scaligeri* elogia, *Conradi* item *Celtæ*, atque aliorum, quæ ſi à vulgaribus profecta eſſent laudatoribus, momenti parùm adderent ad publicæ Rei tantæ admirationem. In hac, inquam, urbe hauſerat vitalem auram NOSTER Anno, poſt milleſ. ſexcenteſimumque, ſexto decimo, die IX. Junii, ad Veſpertinam V. Patre natus ſpectatiſſimo, JOHANNE VOLCKAMERO, Mercatore in præcipuis, & Collybi Adjuncto; Matre, Sexûs ſui ornamento, HELENA AYRERA, inclytâ Matronâ. Poſſem non ſolumodò commemorare Avum, perquàm Reverendâ Claritate meritiſſimum Paſtorem atque Ephorum MARTINUM, ſed & alios Majores & Agnatos, inq; his potiſſimùm, JOH. GEORGIUM VOLCKMARUM, ex Lobenſteinenſibus Variſcis, (ſuas enim inde repetunt origines, qui gentem hanc illuſtraverunt;) Hiſtoriarum olim in hâc Academiâ Electorali, tandem etiam, Theologiæ Prof. Publ. præclarè meritum. De quo ad poſteritatem referenda duo ſunt. Unum pertinet ad ſcriptionem antiquiſſimæ familiæ, alterum ad pietatem. Celebres ſuperiori jam tùm Seculo VOLCKMARI (nam ſic nomen ipſi ſuum exprimebant) Academiâ Wittenbergenſi, ab ingeniô & ſcriptis inclytum Theologum Doctorem pepererunt, ad Suggeſtûs Lutherani juga tumulatum. Hujus tabulâ æneâ memoriam, cùm hùc tranſiret NOSTER, Anno cIↄ Iↄc LXVI. additâ inſcriptione, Patruelem ſuum appellando, renovavit. *Luther* inter Profeſſores reliquos Collegam ex Ordine Philoſophorum deprehendo *JOHANNEM* etiam *VOLCKMARUM*, lepidè *Luthero*, de anteceſſuris noviſſimi diei ſignis quærenti, reſpondentem. Pueri teneriores annos, & in illis ſedulam, ad pietatis, morum atque literarum inſtitutionem, cùm ſuperſint digniora, non exaggero; ſed indolem ſcientiis ac artibus idoneam, & genium à Gratiis Muſisque factum metior. Qui geneſin inſigniorum hominum ſcrutantur Mathematici, horoſcopum, adſpectus Planetarum, ſiderumque plurium, conjunctiones, domicilia cœleſtia obſervant, bona malaque hinc ominantes natis. Mihi nulla indè divinatio, ſed propius augurium à participe divinitatis mente, à ſequaci genio, & Parentum excellenti educatione petitur. Induſtria certabat cum Natura, utra plus conferre ad ingenium illius poſſet? Plurima adoleſcentulum erudierunt fideliſſimè magiſtri; ex ephebis poſteà egreſſum Pater Opt. Laurentiano Ludo, tandem & Gymnaſio Ægidiano, ſingulas per claſſes aſcendentem tradidit. Maturus viſus gentium majorum Scholis juvenis ſeptendecim annorum, Menſe Junio exceſſit ad Salanam primùm Academiam, Philoſophiæ naturali, ac Matheſi, Oratoriæque Arti deditus, non graſſabatur ad ſublimiora, fundamentis ſolidis poſtpoſitis. O utinam, ingrederentur ſeriò eandem omnes viam Academiarum Cives! nec illotis manibus, tractarent illa Sacra & Sacrarii interiora; cùm nec ſcribere aut loqui eleganter; aut philoſophari aptè anteà didicerint. Aſſiduus in frequentandis acroaſibus & diſſerendi exercitiis extabat VOLCKAMERUS,

eouſque dum Altorfium vocatus ex conſilio ſuorum, ut ibidem Celeberrimorum Medicinæ Profeſſorum inſtitutioni adhæreret. Eminebant ad id tempus ſcriptis inter alios, ſi ſtudia humaniora æſtimes, RUPERTUS, ſi doctrinam artis Criticæ ac Medicæ, ad admirationem omnium, CASPAR HOFMANNUS; ne de D. *GEORGIO NOESSLERO*, & D. *JOACHIMO JUNGERMANNO*, (quem in Profeſſorum ordine contubernalem coluit) Philoſopho ſubtili quid adjiciam. His totum ſe emancipabat, horum à ſermonibus pendebat, & conſiliis haud pœnitendis. Nec feſellit eum ſpes, & de his literis ſolicitudo. Polyhiſtora REINESIUM obſtupeſcebat Orbis doctior, hic tamen in optatis habuit, à VOLCKAMERO amicitiæ juribus ornari. Proxenetam antè quidem egerat, incomparabilis RUPERTUS, ſed REINESIUS reſcripſerat eidem, Altenburgo miſſis literis, quas Epiſtolarum opus exhibuit, ad Anni tertii & quadrageſimi Quinctilis menſis Nonas, tùm adoleſcente Seculo. Sic Thomas itaque
Epiſt. XLVI. REINESIUS: Pro Clariſſ. VOLCKAMERO cur me rogas tot verbis? & quantillum? ex facilitatis meæ conſuetudine indulgebo precibus tuis, & faciam, ut meo officio (ſi quod eſt incultorum aliquot verſiculorum occentus, & quos, ut cum venia legatis, oramini,) gratiam referre ei poſſis pro beneficiis, quæ præſtita deprædicas; Ei, quæſo, me, quibus poteris modis, inſinua, quippe conaturum ſedulò, ut ab eo, inter amicos ſcribi, pro magno ducturus eſſe intelligar. Quid de VOLCKAMERO, non præclari cogitabimus? Quem inclytiſſimorum ſine pari, & exemplo triga, ut omittam plures, æſtimabant tanti & amabant. Ornamentum Medici non modò; ſed &, niſi omnis fallor, jus neceſſitatis aliquod videtur, ut experientiæ promereatur laudem, dare aliquid peregrinationibus, celebriumque in tot Urbibus, Academiis, Provinciis, Regnisque exteris, ambire Medicorum gratiam. Hoc Pater reputabat animô, ac filius. Complacuit propterea, ut tertium & vigeſimum ingreſſus annum proficiſceretur in Italiam. Patavium ut venit, propter indeſeſſum, quô inclareſcebat brevi, ſtudium honore munereq; Bibliothecarii exceptus, plurimorum meruit favorem. Floruere ſub id temporis, PROSPER ALPINUS, BENEDICT. SYLVATICUS, JO. VESLINGIUS, & PETRUS DE MARCHETTIS. His ſe cœli Itali Atlantibus adjunxit NOSTER, & ab illis oppidò amatus eſt: Primùm ab Italia redux Anno cIↃ. IↃc. XLI. Altorfium reviſit numeratus inter Candidatos, ad tentamen & examina admiſſus menſe Junio, inauguralem de Ephemerâ febri, ſolus ſine Præſide, cum ſummô omnium applauſu, publicavit. Pectus nobile ac generoſum animabat inexplebilis diſcendi ardor; hinc ſecundâ vice repetens Italicas delicias, & indè ampliùs in Gallias digreſſus, ut perficeretur in Chirurgicis, Venetias, Bononiam, Florentiam, Ferraram, Piſam, Lucam, & Liburniam pervenit. Eruditi orbis cymbalum in Regno Neapolitano Marcus claruit Aurelius Severinus Chirurgorum princeps; hujus in convictu ædibusque per ſex menſes hæſit, & mirificè experientiam locupletavit ſuam. Solvit ex Liburnia deinceps Genuam delatus & Maſſiliam, Græcorum veterum & Romanorum, ſi quis ſtudia literarum ſpectet, patriam. Mons Peſſulanus, Medicorum

gloriâ

gloriâ famigeratus, ore ferebatur exterorum; ad hunc etiam acceſſit; hinc Burdegalam & Tholoſam viſens ad Aurelianenſem properavit & Pariſienſem Academiam. Exactis ibi menſibus non paucis, Lugdunenſes Gallos ſalutavit, & per Alpes, Pedemontium, Helvetiæque juga felix & incolumis in patriam, acceſſione incredibli ſcientiarum, regyravit. Satis exprimi haud poteſt, quô exceptus gaudiô à Suis, à Magnifico Senatu, Urbis plauſu & honore fuerit mactatus. Annô enim tertio, ſupra quadrageſimum currentis ævi, ordinariorum adoptatus Phyſicorum numero, ſupremæ dignitatis infulâ, quam dudum meruit, condecoratus eſt triceſimô Aprilis die, ſolenniſſimâ bonorum acclamatione. Cùm id genus extent pluria in opere Richteriano, Pro-Cancellarii Academici Ampliſſimi; tùm non temperare mihi poſſum, quin ex Triumvirorum inter Sapientes Polyhiſtoras, Senatu ſola referam REINESII ſolius, inſtar omnium, gratulatoria. Hæc verò ipſe poſt præmiſſa:

De Te, VOLCKAMMERE, aliud meliusq́; tenetur,
Ipſa aliud longè NORICAS ALMA ſapit.
ET quam florentem Tibi confert provida laurum,
Baccatam in reditu ſperat habere ſuo.
Hoc meruit pectusq́; catum ſpectataq́; multis
Virtus & genii vis generoſa tui.
Turba ſuum titulis nomen pompatica debet;
Tute tuum contrà nobilitas titulum.
Et plures contra reſplendes: Gloria namq́;
Quæ venit HOFMANNO judice, vera venit:
Quare, quantum iſtos meritò ridemus ineptos,
Tantum te ſanûm quisq́; probamus. HABES.

Hoc veluti Celevſmate ad magna incitatus VOLCKAMERUS noſter deſideriis Hofmannianis Optio & Succeſſor expetitus in Profeſſione publica, quemadmodum hic ipſe denominatus etiam, à DN. *ERNESTO SONERO*, morti jam vicino fuerat, invitationibus his ſe ſubduxit, & in Urbe patria, à gratioſo Medicorum Ordine Collega lectus, ſibi & ægrotis, ope & conſilio levandis, imò optimis quibusque vixit. Neque tamen elegantioribus non illuſtrandis literis impendit, multum ſimul operæ ac temporis. Laudare teſtem liceat *Rupertum*, qui ſic ad REINESIUM: Eſt hic ipſe, ſcribit, VOLCKAMERUS, qui Viros in Italia Clariſſimos conciliavit mihi, multos elegantiſſimos denarios, aliaque Antiquitat. monumenta ſecum attulit; nec adhuc multis beneficiis me ceſſat proſequi. De futuris ejus in Remp. literariam meritis eam ſpem concepit jam antè biennium HOFMANNUS noſter, ut diceret, factâ ſibi à Superioribus poteſtate nominandi Succeſſorem, ſeſe VOLCKAMERUM nominaturum. Bis penetravit Italiam cupidine diſcendi, ſemel Galliam; ut aliquandò Patriæ prodeſſet magnos ſumtus fecit. Dabitis, ut ſpero, veniam Honoratiſſ. DNN. AUDIT. ſi pauciſſimis adhuc repræſentavero, quas & Florentiæ, & Romæ, propter ſtudium Antiquitatis ſuſtinuerit labores. Concinnaverat Patronos

tronos ſibi [illegible]RUM SERVIUM, Philologum & Proto-Medicum Pontificis R. *TOMASINUM* item à Donariorum & Votórum opere nobilitatum, & imprimis DONIUM Florentinum Equitem; à quibus monumenta aliquot inſcriptionum veterum, in voluminibus *GRUTERI* ac REINESII omiſſa, obtinuerat. Hæc poſteà RUPERTO ex æterna Urbe, ubi tunc commorabatur, miſit: ut, ſi nihil amplius ad dignitatem politiſſimarum literarum contuliſſet, magnæ tamen illi deberentur grates. Imitamini has laudes, Generoſæ Animæ, nec niſi maximos hujus famæ gloriæque fructus exſpectate! Talem ex ſemente tali meſſem etiam collegit NOSTER olim, nec invidit ſpicas ad ſe inviſentibus, ex omni penè angulo Europæ cultioris. Academiæ, aut Muſarum contubernii dixiſſes ſimulacrum ædes ejus, & in ædibus muſéum, eò convolantibus tot literis, Amicis, & negotiis. Ut aliquantum ſe ſubtraheret creſcentibus in diem turbamentis; tertio accinxit ſe itineri Italico, ad Annum quinquageſimum octavum, Seculi adulti, & acceſſionibus antiquis novas addidit experientiarum promus-condus. HELIANTHI nomen in Imperialis Academiæ LEOPOLDINÆ Corpore Illuſtri ideò indeptus erat, quòd laborum & benignitatis curſu aliquid cum Sole, aut ſolari flore (quem Solſequium appellant) proprii haberet. Domi pariter ac foris (nam ad Principes vicinos, aut Dynaſtas ſæpenumerò implorabatur Medicus, magnificè donatus) ſerius curarum, ſine intermiſſione, vel inſerviebat ægris, vel familiaribus per literas, vel publica tractabat pro Salute Univerſitatis. DEO & divinis cultibus quotidiè vacabat, frequentando templa, largiendo indigentibus, & benemeritis, aut merituris diſpenſando præmia. Impenſas quippe ſine numero, prò dignitate, muneris tuendi, erogaverat. Comperta loquor: Teſtabuntur mecum juxta tot tantorum paſſim Collegarum nomina ſuffragiaque. Quis miretur igitur, ſi ſymbolis conſentientibus electus, poſt exceſſum Divi Argonautæ FEHRII, ſit Præſes VOLCKAMERUS, Anno cIↄ Iↄc xxcvi? Hanc magni axiomatis provinciam induſtriâ, quàm auctoritate, non minori tàm præclarè geſſit, ut ad ſummum nihil penitùs relinqueret. In meliòrem certè ſtatum, pleraque refinxit; plus auſurus in Imperatoriâ & Moguntinâ Aula, niſi furor Martius utramque vigilem pro ornamentis Academiæ noſtratis ſæpius interturbâſſet. Neq; tamen non agnovit meritorum granditatem CÆSAR Optimus, incomparabili felicitate ac religione LEOPOLDUS; dum annis abhinc proximis dignatus ipſum à conſiliis Archiatrum, Palatii Lateranenſis Comitem, ac inter primos Nobilem creare. Titulos hos honorificentiores interim non oſtentavit NOSTER, gnarus videlicet, Sapientem opere, non verbis, oportere eſſe liberalem; atque adeò Catonis æmulator, eſſe, quàm videri, maluit inſignis. Decora, quæ nullo quæſiviſti ambitu, poſteritas rependet Tibi, PRÆSES olim Celeberrime! Imò rependit dudum in REINESIO, HOFMANNO, ET RUPERTO antè Seculi dimidium primitias: rependit IMPERATOR Sacroſanctus decimas, milleſimas rependet DEUS. DEUS inquam tanta gaudiorum tibi fecit,

in hoc

in hôc vitæ mimo, jam tum olim otia, ut quinquaginta annos ferè munus & Conjugi chariſſimæ eidem, rarâ & incomparabili præfueris felicitate. Quotusquiſq; enim inter tot mortalium myriadas promittere exemplū ſibi queat geminum? aut ſimilem fortunam fingere imaginando? Et nunc memorandum aliquid de matrimonio; in quo ambiguum videtur, aut quid primum mirer, aut quid prædicem poſtremò? Uxor ei contigit divinâ providentiâ, lux fœminarū BARBARA, Viri Nobilis, Ampliſſimi, DN. CHRISTOPHORI VIERERI, menſæ Argentariæ Adjuncti quondam Senioris filia, Matrona nulli, propter pietatem & prudentiam regundæ domus, facilè ſecunda. Tanto ævi ſpatio pars altera in altera, quod quereretur, jure non invenit. Auxit hanc Proſperitatem ſobolis fœcunditas, nepotum quoque turba. Pater liberorum etenim XII. ſuſcepit ex eâdem filios & filias; Tres ab utroque ſexu reddidit mox illi, qui conceſſit, & in ſinum denuò recepit: Sex ſuperſtitant; interque eos Vir Graviſſimus JOH. CHRISTOPH. Adjunctus Collybi ſolennis, natu medius, JOH. FRIDERICUS, tertiusque Nobiliſſimus experientiâ & munere, inter ordinarios Noribergæ Phyſicos Celebratiſſimus Vir, DN. JOH. GEORGIUS, DOCTOR MEDICUS, paterni nominis & ſanguinis ex æquo hæres. Filiarum, quæ ſuperſunt, prima, Fœminarum decus, CLARA HELENA auſpicatò data nuptui ſolenniter & collocata, Anno abhinc propè tertio eſt, gente pariter ac mente, ſed & excellenti eruditione inclyto Doctori, DN. GODOFREDO THOMASIO, Poliatro, & Phyſico apud Noribergenſes Ordinario; Secunda tertiaq; Virgines Clariſſimæ, SUSANNA BARBARA, & MARIA MARGARITA, luctu acerbiſſimo confuſæ, cum prolixo Neceſſariorum ordine, occaſum Beatiſſimi Parentis dolent. De privatæ inter ſuos vitæ ſtatu multa dicere quid prodeſt? Ad honeſti regulam & juſti componebat actiones; nulli gravis, plurimis officioſus & benevolus. Nec tamen hominem infirmitatibus obnoxium ſe eſſe ignorabat, indulgentiæ Cœleſti, ſua ſe debere omnia confeſſus. Pro tranquilla ex hôc vitæ turbido analyſi orabat Numen, atq; exorabat piè, annos ævi extrahens ad definitum ferè terminum humanæ vitæ: quanquam Pater olim Optimus annorū octoginta quatuor, Avuſq; nonaginta & duorū ſpatium decurrerit μακρόβιος. Naturam habuit propitiam, & inter tot itinerum moleſtias durantem, à laboribus non alienam, tentatam interim à valetudine quandoque. Senium pro morbi extitit occaſione; morbus à catarrho, & languore præternaturali, quem Maraſmus, & vitalia depaſcens febris auxerat. Ad diem Maj. XII. à Templo rediens, dejectus in fatalem lectulum, adeſſe illud ſenſit decretoriū momentū, quod diu deſiderabat pietate anxiâ. Nec enim quicquam ampliùs vel medicinæ præſtantiſſimæ, vel diæta exquiſitior & cura, ad ſalutem corporis conferre videbantur. Rerum ergò omnium mortalium abjecit cogitationes præſentiq; mente ac fiduciâ, tenebat JESUM SUUM, ſuorumq; in amplexibus tranquillâ morte exſpiravit; cùm feciſſet annos vivens ſeptuaginta ſeptem quaſi, paucis admodū exceptis hebdomadibus, beatus Senex. Salve

Sancta anima! æternùm vale! vive DEO! gaude cum gaudentibus in vera illa patria Cœleſti! nos tuorum immortalitatem meritorum poſteris commendaturi ſumus. DIXI.

MORTVALIBVS
VOLCAMERIANIS
MONODIAE
FRANCORVM de FRANKENAV.

D. M. S!

O Ver, non mihi ver, ſed bruma triſtius omni!
Non annus ridet, ploratibus omnia complet,
Ac Phoebi radios triſtiſſima nebula condit.
Vix caput extulerant terrai filiae amoenae
Lilia, narciſſi, ferrugineique hyacinthi
Vere pruinoſis arvis viridique tapete
Vix exornabant pulli topiaria flores,
Germine vix Majus majori maxima nobis
Gaudia parturiit, quando Cyllenia proles
Advocat obtundens pertriſti nuncio ocellos,
Et mentem luctu perturbat protenus omnem.
Me Mars Saxonicus tunc in ſua caſtra vocabat,
Haerebam HEROIS lateri, cui patria curae,
Quique IMMORTALIS calcat veſtigia PATRIS,
Quem modo Turca fugax timuit, Gallusq; veretur.
Tunc per Francorum terras exercitus omnis
Advolat ad Nicrum, frontemque obvertere Gallo
Tentat, & obpreſſis ſperatam afferre ſalutem,
Tunc feriit clamor noſtras inconditus aures:
VOLCAMMERUS obiit!
Tunc ſubito gelidus tremor ima per oſſa cucurrit,
Tunc mea letifero velluntur pectora morſu
Udaq; turgentes impellunt lumina guttas.
Et VOLCAMMERUS πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
Diſpereat? Pereat Phœbi clarisſima proles
Dixi? Germanis terris Epidaurius alter?
Alter Apollo? Caput tollatur grande Medentum?
Paeoniique chori labatur ſumma Corona?
I nunc & terris valedic Meditrina! Faceſſe
Alma Salus! Panacea ſolum nunc verte ſalubris!
Tuque ſoror tetricis te condito Hygeia tenebris,
Diiq; Deaeq; omnes imbellia Numina prorſus!
Vosq; ſalutiferos ſuccos, herbasq; potentes
Languidulae pudeat virtutis, opisq; minutae!

ILLE ſagax poterat latitans in corde venenum
Indagare probe, veniſq. expellere virus;
Ille potens animas norat cohibere fugaces,
Threiciaq. lyra longe felicius umbras
Praeproperas poterat cymbae extorquere Charontis:
Mille febres (immane genus, peſtemq. medentum)
Suſtulit e fibris radicitus. Ille peruſtis;
Quin etiam ſuccos, atque auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius ſtaret medicamine ſanguis,
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quae ferro cohibenda lues, quae cederet herbis
Edocuit veluti Podalirius atq. Machaon:
Obicibus late ſerpenti occurrere Cancro,
Ventris aqualiculos ſimul extenuare tumentes,
Et lapicidinas Microcoſmi frangere diras
Arte cata poterat; pedicas reſerare dolentes,
Nodoſaſq. manus agili firmare tenore:
Saepe reſarcivit durarum fila Sororum
Nec ſemel Is ſtatuit de mortibus ampla tropaea!
Nunc Ollus jacet heu! Theſauro traditus ollus
Orcino, *claudit longinquo lumina ſomno.*
Vitalis ſanguis languentes deſerit artus,
Mortiferumq. gelu per membra ſubinde obrepſit,
Purpureamque animam pepulit de ſede quieta.
Non proſunt Medico, quae proſunt omnibus, artes,
Nil dictamnus agit, nil gemmarum aureus ordo,
Sardonyches, Smaragdi, Sapphiri, & Iaſpides omnes,
Vipereive ſales, alias ſpes ampla caducis,
Et nihil antidotus Ponti, Andromachive medela:
Nil proſunt herbae, nil proſunt ferra vel ignes,
Ars Medici docti Libitinae eluditur arte,
Grandaevuſq. ſenex, animae & natura fatiſcit
Feſſa aevo, calor exſuccis vult cedere membris.
Mortales Immortales ſi flere foret fas,
Fleret Flora ſuum cultorem rhizotomumq.,
Sic & Hamadryades flerent, flerentq. Napeae.
Phyllirides Chiron Amithaoniuſq. Melampus
Solvuntur luctu, dum dextera docta facesſit
VOLCAMMERIADAE, quo non praeſtantior alter.
Ipſe novenſilium Praeſes Patareus Apollo
Barbiton abjecit, radioſq. coercuit omnes,
Triſte videns, & ſolicitus de funere Nati.
Dulce Sodalitium, Naturae culmen & Artis,
Quod fovet Imperium, quod protegit undique cura

CAESA-

CAESARIS AUGUSTI, & LEOPOLDI nomine gaudet,
Orbum praeſidio lacrumis triſtatur obortis.
Me vero propius tangit jactura dolorq́:
Pars animae eſt avulſa meae, pars optima vitae:
Quem colui Patrem, quem toto pectore amavi,
Quo nec amabilior, quo nec jucundior ullus:
Corporibus binis ſuffecit ſpiritus unus,
Nolle & velle idem erat, geminos mens una regebat:
Non viſum virtute ſua notisſimum amavi,
Viſum deperii, cordisque abſcondidi abyſſo.
Illa dies mihi grata fuit, quo dextera dextrae
Juncta Norimbergae, quo pectus pectori amanti,
Quoque animo eſt animus conjunctus amicus amico,
Quando Palatinis me pulſum ſedibus aede
Excepit laeta, fugitivum voce ſalubri
Conſolans. Ambo doctas noctesq́ diesq́
Traximus, & Martis neglexìmus ambo furores,
Hoſtis de rabie ſecuri, & caede nefanda.
O quam Te memorem, Regina decusq́ perenne
Urbium, & Imperii fidus pernobile Sacri,
Cara NORIMBERGA, hoc quae colluſtraris Alumno!
Tu dederas vitam, vitam Tibi reddidit Ille.
Ut micat in pulcris perfulgens gemma coronis
Emicuit Noſter, *multis poſt ſeq́ reliquit*
Summates artis paraſangis enthea virtus!
Quam multos traxit celeberrima gloria Noſtri
Partibus e variis orbis? Quem Gallus honorat,
Itala mirata eſt tellus, quem doctus Iberus
Suſpicit, Hunc coluit ſancte ſubtilior Anglus,
Hunc & adoravit merito Germania docta.
Hunc Pietas *omnis virtutis ſancta corona*
In Numen movit ſacro immortale potenter
Ardore, ut templis auditor fidus ineſſet,
Pauperibusq́ manu prompta ſuccurreret uſq́.
Gratus erat Magnis, & parvis gratior Ille,
Ille Machaonio ſemper gratiſſimus orbi!
Ille bonus Civis, bonus & Pater Ille, Maritus
Optimus Ille fuit concordi pace ligatus
Matronae ſanctae, *ſexus quae gloria certe*
Summa ſui, certans pura probitate fideq́
Cum probitate Viri: Torus his ſine jurgio & iris,
Atque reconciliatus amor fuit haud Ambobus.
Haec per luſtra decem comes eſt fidiſſima Noſtro,
Una fides, amor unus erat, fuit una voluntas:

Feli-

Felicem multa fecit quoque prole parentem,
In qua dein niteat virtus praeclara Satoris,
Et bona Spes ſecli. Gnatus virtute paterna
Haut remorante premit greſſu veſtigia docta,
Dum pariles artes adhibet languentibus aegris,
Et Florae cultum, ſi quisquam ſedulus ornat
Degener haut gener eſt Celebris THOMASIUS Ille,
Portio grata mei cordis, ſed maxima Phœbi,
Quem claris meritis Polyhiſtora novimus aptum,
Qui Latias complexus opes Grajasq; labore
Multijugo, & fructu multiplice proderit orbi.
Hunc fortem novus hic celebrabit Homerus Achillem
Nec melior laudator erit, nec doctior umquam
Optari poterit! Verum res mira! tot annos
Qui vixere pares anno moriuntur eodem;
Hebdomade, & magis eſt res mira, tenentur eadem
Compedibus Mortae, ſed ſpiritus aſtra petivit.
Sic olim conjuncta toro, nunc juncta ſepulcro
Nondum aliena fidem pactam ſervare ſtudebat.
Illi ſunt annis juncti juvenilibus, illi
Conſenuere ſimul, ſimul & valedicere mundo
Hiſce datum eſt, veluti cum Baucide quando Philemon
Concordi fato ſimul optima lumina clauſit.
Ergo quieſce ſimul Venerandum corpus utrumque
Ac laetare ſimul mens utraq; ſancta recepta
Cœlo, Coelicolis commiſta fidelibus illic.
VOLCAMMERE vale, ſiquidem Tua ſplendida Virtus
Marceſcet numquam, numquam de pectore noſtro
Labentur vultus Tuus, aeternique labores:
Hos memini, & meminiſſe juvat. Scit cetera mundus!

VIRO SVPRA LAVDEM POSITO
JOH. GEORG. VOLCAMMERO
PHOEBI DELICIO, MVSARVM CORCVLO,
CONSILIARIO ET ARCHIATRO CAESAREO
PHILOSOPHO ET MEDICO INCOMPARABILI,
PROSAPIA, PIETATE, VIRTVTE ATQVE ERVDITIONE
NOBILISSIMO,
PATRONO, VT PATRI, OCVLISSIMO
DESIDERATISSIMO
H. MONIM. POS.
PIETAS
GEORGI FRANCI de FRANKENAV, S.R.I. Equ. Palat. Caeſar. Comit.
Aliqvot Electorum ac Principp. Conſiliar. & Archiatr. in Acad. Witteb. Prof. Primar. Leopoldino-Imper. Adjuncti & Ital. Recuperatorum Collegae.

ITe pertriſtes Clarii ſorores,
Pectus & veſtes lacerate diris
Ungvibus, leſſus ululate, mœſtæ
ite Camenæ!

VOLCAMER docto valedixit orbi!
VOLCAMER ſecli decus & corona;
VOLCAMER Phœbi genius, medentum
Præſidiumque.

CÆSARI gratus, facilisque doctis,
Et DEO fidus pietate pura,
Nunc datus cœlo micat inter aſtra
ceu nova ſtella.

Qui pie vixit, male non perivit,
Nomen æternum manet, & manebit,
Et patri Soli novus HELIANTHUS
ſemper adhæret.

Summis meritis
Viri immortalis & Ἰσοθέυ, Patroni,
dum viveret, dulciſſimi,
obſeqvium teſtabatur

Vitembergæ apud Saxones

D. GEORGIUS FRIDERICUS FRANCUS de Frankenau,
P. P. Extr. Acad. LEOPOLDINO-IMPERIALIS
Nat. Curioſſ. Collega.

*** † ***

VOLCAMMERUS obit Senum corona,
Artis Paeoniæ decus, medentum
Atlas, *CAESARIBUS DEOque* gratus,
Naturæ genius, ſalus & aegris,
Germanis Cous, & Galenus alter,
Phoebi deliciae, Aeſculapiiqve.
Hunc virtus ſuperûm ſodalitate
Dignatur, vehit & volante curru
Per coelos radiis coruſca Fama,
Narciſſos cineri dat alma Flora;
Et ſpargit cilices crocos, roſasque,
Et marmor Parium parat *Beato*
Virtus ipſamet optima illa merces.
Felix, qvi potuit DEO placere,
Felix, qvi potuit DEUM videre!

Beatiſſimis Manibus
Illuſtriſſimi quondam VIRI,
& ἰατρικωτάτῳ
hæc dare debuit

GERARDUS ERNESTUS FRANCUS de Frankenau,
J. U. Cultor.

Die
Sonn
an der Gelehrten Himmel/
des Groſſen
Helianthus
Glanz/
verdunkelt / ach! der Fäulnus-Schimmel!
Diß klagt
mit abgelegtem Kranz/
und
eingehüllt in Trauer - Flor/
der Norts
Blumgenoſſen Chor.



Madrigal.

S*Ag / Noris / weſſen iſt die Grufft?
Apollo ſitzt im Lorbeer-Hayn / und weinet;
Coronis ſtehet ganz verſteinet;
ein Rab ſchwebt oben in der Lufft.
Man ſiht den Schlangen-ſtab zerbrochen.
Zur Rechten lauſcht der treue Hund /
zur Linken wacht der muntre Hahn;
Das Drachen-Haubt ligt bei den Toden-Knochen.
Weß iſt die Grufft? mach mir es / Noris / kund!
Auf dieſe Weiß (ſtimmt ſie zur Antwort an)
wurd Epidaurius bethrenet.
So ligt auch hier / in gleichem Pracht / bekrönet
mit einem Wald voll Lorbeer-Reiſer /
mein Volkamer / des Keiſers Aeſculap /
und aller Aeſculapen Keiſer.

* Apollo des Aeſculapii Vatter: Coronis die Mutter. Der Ihm zugeordnete und künftige Dinge weiſſagende Rab bedeutet eines Arztes Fürſichtigkeit; der Schlangen-ſtab ſeine verſtändige Wolredenheit; der Hund die Treue / der Hahn und Drach die Wachſamkeit. Der Lorbeerbaum / deſſen Blätter Ihn kröneten / war Ihme geheiligt.

So ſinnbildete
die Volkameriſche Ehren-Grufft
zu ſchuldigſtem Nachruhm /
der in der Pegneſiſchen Blumgenoſſenſchafft ſo benamte
Damon.

Madrigal.

SOll ich bey dieſer Grufft nicht klagen?
Hier ligt mein theurer Raphael:
Von dem ich redlich kunte ſagen/
mein gröſter Freund und Reisgeſell;
der mich in **Latien** geführet/
doch jetzt den Engel-Orden zieret.
Ja! der ein rechter Engel heiſſet/
nachdem Er Sternen-an gereiſet.
Hier ligt mein Raphael/ mein Arzt!
der mich ſo offt dem Tod entriſſen/
mit GOtt und ſeinem groſſen Wiſſen.
Drum klag ich/ daß Er ligt/ drum dank ich ſeiner Treu/
die Ihm mit höchſter Freud/ von GOtt/ vergolten ſey!
Es gönnt Ihm zwar mein Herz diß himmliſche Geſchenke/
doch iſt mein Geiſt betrübt/ wann ich an Ihn gedenke!

Mit dieſen Wenigen wolte und ſolte die Edle Aſche ſeines weyland Höchſt zu Ehren-den Hn. Gevattern und Hochwertheſten Hn. Patrons ſchuldigſt beehren

Polyanthus.

ACh! der Groſſe **Helianthus** liget in dem Erden-Schrein/
der noch manches Kranken Helffer/ als ein Erz-Arzt/ könte seyn!
Der was ſonderbars erfunden wider alle Steines-Pein/
deſſen Beine deckt nun/ leider! der gemeine Grabes-Stein.
Iſt dann/ blaſſer Todes-Rachen! alles/ was da lebet/ dein?
Muß man dann mit dir verliehren alles Wiſſen und Latein?
Ja ſo iſts! des Todes Sichel geht kein Unterſcheiden ein:
Würgt Gelehrt- und Ungelehrte; Reich- und Arme; Groß- und Klein.
Er verachtet alles Sträuben; lacht/ man weine oder grein!
Es iſt keine Macht auf Erden/ keine Liſt/ die ihn ablein:
Dann er iſt der Sold der Sünden/ und wir ſind nicht Sünden-rein.
Zwar kan diß die Chriſten tröſten/ die/ dem Gold gleich/ Tugend-fein
ſich im Glauben hier erweiſen/ daß/ ob ſie die Fäulung bräun/
doch der Geiſt/ in GOttes Händen/ güldner als die Sonne ſchein.
Und ſo glänzt dort **Helianthus**: darum hemmet das Gewein/
Ihr/ die Er betrübt verlaſſen! klag nicht mehr du Muſen-Hain!
Doch vergeſſe nimmermehr/ was ich dir zum Ruhm vermeyn/
deiner **Sonnen-Blume** Namen/ laß ihn dieſem Mann allein!
Schweig auch nicht von ſeinẽ Schrifften/ die zu troz dem Neides-Schwein!
man bis an das End der Zeiten/ Ihm zu Ehr und Lob/ durchſtrein/
ja die/ wie Homerus Bücher/ theurſter Demant nur umzäun!
Und ich/ ſollt ich **meines Gönners** wol vergeſſen können? Nein!

Celadon/ G. K. P.

Die

DJe Blumen-Sonn und Sonnen-Blum/
die manchen Strahl mit groſſem Ruhm
vom hellen Welt-Aug hat geſogen/
der ſelbſt die Keyſer-Kron gewogen/
und jede Pflanze günſtig war;
Die hat/ nachdem ſie lange Jahr
die Erden - Sonne tief verehret/
der himmliſchen ſich zugekehret:
nach deren Leit-und Angel-Stern
ihr Angeſicht und Herzens-Kern
ſchon lang unabgewendet ſtunde.
Nun ruht ihr Sam-Korn in dem Grunde/
bis daß ſie aus der Grabes-Nacht
nach dem verklärten Bild erwacht
der unvergänglich-heitern Sonne/
ſich ſatt zu ſchauen ihrer Wonne.

Zu dem unverwelklichen Nachruhm
des
Preißwürdigſten Helianthus
trug dieſes Wenige bey
Irenian.

m!

MEin Helianth iſt todt! der Kröner meiner Scheitel/
des Plutons ärgſter Feind/ Apollens liebſter Sohn/
durch den die Spat voll Roſt/ die Kirchhöf ſtunden eitel/
und Charon ohne Brod/ bey lang-geſperrtem Lohn.
Mein Helianth iſt todt! die Sonne von den Aerzten/
nach der die ganze Zunft/ wie Lotos-Stiel/ ſich ruckt/
der die Natur entdeckt/ wann ihn die Kohlen ſchwärzten/
der ihr bey lindem Feur tief in das Herz geguckt.
Mein Helianth iſt todt! die Liebe hoher Häuſer/
zu deſſen Lob genug/ was man Ihm ſchrieb in Gold:
Es ſiht dich gnädigſt an der ſelbſt gelehrte Kaiſer/
der Atlas unſers Reichs/ der groſſe LEOPOLD!
Mein Helianth iſt todt! Wolan/ ihr meine Geiſter/
kühlt euren Kummer ab/ gieſt heiſſe Thränen dar/
und/ weil ſein Ruhm allein des Tod- und Kummers Meiſter/
ſo ſagt; wer Helianth/ Ferrandens Gönner/ war.

ER war ein junger Löw / den man aus zarten Krallen
ſchon / über Grab und Luft / gewaltig herrſchen ſah.
So bald dem muntern Kopf Hygeia hat gefallen/
ſtund bey dem Anfang auch der gute Fortgang da.
Zwar Er war andrer Art / als Glyptus iſt geweſen/
der mit dem erſten Kraut / das er nur halb gekennt/
eh' er / quid Medicus? quod Genus? recht geleſen/
vor jedes Kranken-Bett verwegen hingerennt;
Und keinen Plappart doch / durch ſeine Kunſt / erworben/
als den Ihm / für den Dienſt / der Toden-Gräber gab.
Ihr Menſchen! iſt in euch das Hirn noch nicht erſtorben/
ſo ſchaffet doch einmal den frechen Pfuſcher ab!
Wie wieß ſich **Helianth**? Er gieng die Ketten-Kreiße
der Wiſſenſchafften durch / als wolt Er ganz allein
ein Gründer der Natur / und nach der heunt'gen Weiße
(nicht Stagiritens Sclav) * ein Herr der Secten ſeyn.
Ihm war nicht unbekand / was Jollas nicht will glauben:
die Wiſſenſchafften ſind der Aerzte rechter Fus.
Wer nicht auf dieſem ſteht / nebſt ſeiner güldnen Hauben/
der hinket / wie Vucan und mein Empeiricus.
Vernunft-und Rede-Kunſt die lieſſen Ihn nicht ſtiller:
man hört' Ihn höchſt-vergnügt dort in der Weisheit Haus;
doch bließ Er nicht voll Neid / wie jener Schulen-Triller/
** Hebræiſch und Ladein mit vollen Backen aus.
Er hieß die Sitten-Lehr die Aerztin des Gemütes/
und heilte vor / an ſich / das Heer der Leidenſchafft/
als andern / die Gebreſt der Haut und des Geblütes/
durch ſeiner Pfriemen Stich / durch ſeiner Kräuter Krafft.
Wie weit der ſondre Geiſt der Sonnen und der Sterne/
durch ſeinen Ausfluß / ſich auf Erden merken laß:
wie Er / blüht nur der Stock / und wär er noch ſo ferne/
den Wein / der von ihm kam / mach brauſend in dem Faß:
Wie Bären-Schmalz von Ihm in den Geſchirren jühret/
wann in der Höl' ein Bär / im Winter / fetter wird:
Woher / wann man das Schwerd mit Waffen-Salbe ſchmieret/
man dieſe Heilungs-Krafft in fernen Ländern ſpürt?
Wie ein ausſchüſſend Licht / aus Unter-Mondnen Leibern/
die Urſach ſtarken Zugs und ſtiller Liebe ſey:
daher ſucht der Magnet mit Eiſen ſich zu weibern/
der Ulmbaum mit dem Wein der Agtſtein mit der Spreu:
Wie Schwefel / der verſteckt in Katzen und in Eichen/
verurſacht / daß der Blitz ſo gern nach beyden ſchlägt:
Woher / und dieſes zwar ohn alle Zauber-Zeichen/
ein Klump verborgnen Golds die Wünſchel-Ruthe regt.

* Eclecticus.

** In der Sat. J. Balde: Herbis non Verbis morbi pelluntur, wird er beſchrieben qui tumidas plenis buccis elatrat Atheṇas.

Dem

Dem allem ſann' Er nach. Nechſt dieſem auch den Künſten/
die auf dem Grund beſtehn von **Maas/ Zahl/ und Gewicht/**
durch die GOtt alles macht'/ als Er/ zu unſern Dienſten/
der Welt ihr **Weſen** gab/den **Schatten** und das **Licht.**
Und ſo voraus geſchmückt grief Er das rechte Weſen/
den Haubt-Zweck ſeines Thuns/ mit reinen Händen an:
Hat fleiſſig den Galen und Hippocrat geleſen/
und mit dem Paracels im Feuer viel gethan:
Durchſuchte wol das Reich/ das Chiron hat erfunden/
der uns die Kraut-Arzney und Würkung erſtlich wieß.
Zehlt an den Fingern her die **Kräuter** für die **Wunden/**
und was uns die Natur zur **Würz** und **Kränzen** ließ.
Er führte nett den Schnitt die Leiber zu zergliedern/
rieß dieſen Bau oft ein/ daß Er ſich draus erbau/
durchſtreint den ganzen Leib im Obern und im Niedern/
und ließ kein Zäſerlein/ ohn ſeiner Augen Schau.
Hat wol den Binde-Zeug geführet und verſtanden/
ohn den nicht leicht ein Arzt/ kan/ was er seyn ſoll/ſeyn:
Gebraucht ſein Alphonſin/ wo nichts zu thun mit Banden/
ſetzt/ wo ſonſt nichtes half/ geſchickt den Pfriemen ein.
Was hat Er nicht vermocht in Scheidung der Naturen?
wie herrlich ſpracht' Er nicht von dieſem Künſte-Fleis:
daß jede Miſchung führ(1.)**Salz**/(2.)**Schwefel** und (3.)
Mercuren/
wie dieſes drey im Ey (1.) **Schal**/ (2.) **Dotter** ſey und
(3.) **Weiß.**
Dahin erſtreckte ſich bereits ſein trefflichs Wiſſen/
und weiter/ als mein Kiel voll Schulſtaub ſchreiben kan/
eh Jhn ſein hoher Geiſt hin in die Fremd geriſſen/
eh Er das Buch der Welt was weiter aufgethan.
Und wie wir viel gelernt von unvernünft'gen Thieren:
als von dem Waſſer-Pferd das Heil der Aderlas;
vom Storch das Wolgemut; vom Ibis das Kliſtiren;
von Schlangen und der Schwalb/ der Augen-Kräuter Maas;
Die Ameis-Arzeney/ von dem erkrankten Bären;
Des Fenchels Nutzbarkeit/ von ſchlanker Natter-Zucht;
Von wilden Tauben/ wie uns ſo vortheilig wären
an einem Lorbeer-Baum die Blätter ſamt der Frucht:
So gieng Er auch zur Schul der Thiere/ was zu lernen;
Doch beſſer ſpürt Er aus/ wo ein Gelehrter ſitz/
der Jhm in fremdem Sand die Weisheit aus mög kernen:
Weil ja die fremde Luft viel heitert an der Witz.
Du/ Welſchland/ haſt ſein Herz ſo ſehr nach dir gezogen/
daß Er zum drittenmal nach deinen Künſten zog:
Nicht/ wie wol mancher Schwan an Tugend ausgeflogen/
der/ wie ein Laſter-Rab geſchwärzet/ ruckwärts flog.

Er lieſſe ſich das Lied der ſchmeichlenden Sirenen
nicht reizen / von der Straß zum Himmel-Vatterland.
Was Er nur hört' und ſah / muſſt ſeiner Seele fröhnen/
zu beſſern mehr und mehr **Gewiſſen und Verſtand.**
Bis Ihm die Vatter-Stadt Lieb-Feſſeln angeſchlagen:
nur daß ſie Ihn gewiß behielt in ihrer Noth.
Die wird auch / weil ſie ſieht/der ſpaten Nachwelt ſagen;
wie ſieghaft Er gekämpft mit Krankheit und dem Tod;
Wie viel Er köſtlichs hab zu unſerm Heil erfunden:
Wie auch der Noris Ruhm durch **Helianthen** ſtieg:
Wie die Barmherzigkeit Ihm ſelbſten ſchluge Wunden:
Wie Er mit Geld geſtillt der Armen Seufzer-Züg:
Wie Er des Glaubens Licht gewieſen durch die Liebe:
Gezogen durch die Stadt / **geheilt** und **guts gethan:**
Wie Er das Werk der Schul des **Leopoldens** triebe/
daß deren hoher Glanz nicht mehr erlöſchen kan:
Wie Er beſtändig ſey bey unſrer Stadt geſtanden/
in dem ſein edler Nam flog durch den Kreis der Welt/
ſo daß Orion Ihn und Suder-Indus kannten/
und der / wo Titan ſteigt / und wo er wieder fällt.
Sollt' auch die Welt nach uns einſt meinen Namen kennen?
ſo zeuget manches Blat von ſeiner **Sonnen-Blum**/
und preiſet: daß ich mich darf einen Tichter nennen/
ſey ſeiner Güte Lob / nicht mein geſuchter Ruhm;
daß ich Ihn / beſten Rechts / genennt **Gamalielen**/
zu deſſen Füſſen ich jetzt mancher Weisheit dank;
daß ich von ſeiner Hand manch-ſchönes Buch kan zehlen/
das ſeinen Namen führt / in meinem Bücher-Schrank.
Darum hat Urſach gnug / wie die gemeine Sache
der Weisheit aller Zeit / daß ſie für dieſen Mann/
der ſie beſchützt / geziert / ein ewigs Denkmal mache/
und weine / weil ſie Ihn forthin nicht haben kan:
So auch mein eignes Herz. Ja! Ja! ſo lang ich lebe/
ſoll um die Dankbarkeit die meiſte Sorge ſeyn.
Und wann ich etwan bald der Erden Abſchied gebe/
ſo ſcharrt man doch mit mir nicht alle Schrifften ein.
Sucht ſchon der Zeiten Roſt mein Denkmal auf zu reiben?
Beißt gleich der gelbe Zahn des Neides noch ſo ſcharf?
Doch wird ein gutes Blat von meinem Vorrath bleiben/
drauf **Helianthens** Nam ſich auch nicht ſchämen darf.

Ferrando II.

99 958659
1069 · 24

ll 2